THESES SELECTAE

EX

UNIVERSA THEOLOGIA.

§. I.

Revelationis criteria; et fontes.

1) Ex fine creationis sequitur, homini certa officia incumbere, adeoque religionem existere. 2) Dividitur hàec in naturalem et supernaturalem, quae possibilis, utilis, et moraliter necessaria est. 3) Inter characteres, quibus vera religio a falsa secerni possit, eminent miracula, et prophetiae. 4) Revelationis judaicae seriem exhibet nobis pentateuchus, qui omni fide dignus est, et genuinum Mosis, magni prophetae, opus. 5) Ex ipsa tamen religionis judaicae, quae omnibus fulget divinitatis characteribus, oeconomia, et ex libris illius propheticis patet, quod aliquando abroganda sit, succedente lege nova caque universali. 6) Novam legem instituit Jesus Nazaraenus, quae nobis in scriptis N. T. Genuinis et veracibus tradita fuit. 7) Miracula Christi sunt a) historice, b) hermeneutice c) philosophice certa. d) Patrata in confirmationem doctrinae et missionis divinae. --- Quatuor haec certi miraculi signa ostendi possunt, expendendo singulatim illustriora Christi miracula α) cibationem 5000 virorum paucis panibus et piscibus Math. XIV. Marc. VII. Luc. IX. Joan. VI. β) Aliud

simile

ſimile Math. XV. Marc. VIII. γ) Suſcitationem filii viduae in Naim Luc. VII. δ) Filii Jairi Math. IX. Marc. V. Luc. VIII. ε) Lazari Joan. XI. ζ) Tum illuſtriſſimum propriae reſurrectionis Math. XXVIII. Marc. XIV. Luc. XXIV. Joan. XX. 8) Chriſtus, qui religionem ſuam voluit perennem eſſe, et univerſalem, publicam ſocietatem perpetuo conſpicuam ſtabilivit, in qua vera ejus doctrina conſervaretur. 9) Religio Chriſtiana tantum teſtimonio propagari potuit, eoque vel viva voce prolato, vel litteris mandato; unde duo tantum religionis fontes eſſe poſſunt, literarum monumenta ſcilicet, et traditio.

A) *Scriptura primus doctrinae Chriſtianae fons.*

10) Scriptura alia eſt veteris, alia novi teſtamenti. --- Canon S. S. librorum is eſt, quem Tridentinum ſeſſ. IV. exhibet. 11) S. ſcriptura ex originali in varias linguas eſt translata --- inter verſiones orientales eminet ſeptuaginta viralis; inter latinas ſynodus Tridentina Vulgatam merito declaravit authenticam. 12) Scriptura hodie ita clara non eſt, ut interpretis magiſterium ſit inutile. 14) Nec ratio, nec philologia ſacra, multo minus ſpiritus, ut vocant, privatus omnis obſcuritatis fugandae medium eſſe poſſunt. Neque, ut Calviniani volunt, regenitis eſt clara.

B) *Traditio alter doctrinae Chriſtianae fons.*

15) Praeter S. S. exiſtunt traditiones, quarum origo in haereticis ſaeculi II. quaeri non poteſt. 16) Dantur certae regulae, quibus divinae traditiones a non divinis ſecernantur. 17) Fontes traditionis ſunt α) libri liturgici β) ſim-

ſimbola fidei γ) catechiſmi δ) acta Conciliorum ε) et ſcripta St. Patrum. 18) Patres cum agunt doctores privatos, non gaudent convincente auctoritate; ſi vero de religione teſtimonium perhibent, eorum conſenſus ſummam parit certitudinem.

§. 2.

Eccleſia doctrinae Criſtianae interpres, et Magiſtra.

1) Chriſtus, de neceſſario interprete infallibili nobis proviſurus, inſtituit eccleſiam docentem, quae fidei et morum dogmata ſine erroris periculo nobis proponeret. 2) Privilegium infallibilitatis competit eccleſiae docenti, ſive congregatae. 3) Judex per ſe infallibilis non eſt Romanus pontifex 4) ipſi tamen competit primatus non ſolum honoris, ſed et jurisdictionis. 5) Characteres praecipui ſocietatis a chriſto inſtitutae ſunt: Univerſalitas, et unitas.

§. 3.

Myſterium trinitatis.

1) Revelatio edocet, Deum eſſe in natura unum, 2) in perſonis trinum, patrem, filium et ſpiritum S. 3) Quamvis autem alia ſit perſona patris, alia filii, alia ſpiritus S.; trium tamen una eſt divinitas, gloria, et majeſtas. 4) Filius a ſolo patre eſt genitus; et ſpiritus S. a patre filioque procedens.

§. 4.

§. 4.

Corruptio, et reparatio generis humani.

1) Ante lapſum Adam innocens erat, neceſſitate moriendi, iisque infirmitatibus, quae ad corporis diſſolutionem diſponunt, exemptus. 2) Uterque parens infelices peccati ſequelas ſenſit. Nam a) Eva ſentiet dolores partus -- ſubjicitur viro. b) Adam moleſto labore panem parabit c) uterque e paradiſo ejicitur. 3) Peccatum illius cum ſequelis etiam ad poſteros tranſiit. 4) Non tamen in ſtatu naturae lapſae periit libertas a neceſſitate, ſed ad bene vel male merendum requiritur. 5) Verumtamen, ubi abundavit delictum ſuperabundavit gratia; ſic nempe Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, deleturum, quod adverſus nos erat, chyrographum mortis. 6) Hic natus ex B. Maria, quae ſemper virgo permanſit. 7) Una eſt in Chriſto perſona, 8) et duae naturae inconfuſae. 9) Ex unitate perſonae ſequitur, dari communicationem in concreto. 10) Paſſus eſt Chriſtus pro ſalute omnium, vere et proprie juſtitiae divinae pro peccatis noſtris ſatisfaciens.

§. 5.

Chriſtus ſanctificationis noſtrae author.

1) Chriſtus per iſtam paſſionem, et mortem ſuam nobis meruit omnia gratiae dona, quae ad juſtificationem noſtram ſunt neceſſaria. 2) Neceſſaria eſt gratia interna ad omne opus ſalu-

ſalutare, 3) imo ad initium fidei. 4) Fontes gratiarum ſunt ſacramenta numero ſeptem. 5) Haec effectum producunt ex opere operato. 6) Baptiſmus tollit praeter peccatum originale etiam actualia. 7) Parvulis quoque valide adminiſtrari poteſt, ac debet. 8) Confirmatio, quae ab inſtitutione catechetica differt, eſt verum ſacramentum. 9) In ſacramento Euchariſtiae Chriſtus vere, et realiter praeſens eſt. 10) Uſus calicis, cum ad diſciplinam eccleſiaſticam pertineat, laicis ab eccleſia ſubtrahi potuit. 11) In miſſa offertur verum ſacrificium. 12) Neque miſſae privatae illicitae haberi poſſunt. 13) Peccatorum poſt baptiſma commiſſorum remiſſio per ſacramentum poenitentiae obtinetur. 14) Ad hunc tamen effectum conſequendum neceſſaria eſt ex inſtitutione Chriſti confeſſio. 15) Indulgentia videtur eſſe remiſſio poenae canonicae. 16) Matrimonii vinculum eſt inſolubile.

§. 6.

Et theologia morali, et paſtorali.

1) Regula actionum humanarum interna eſt conſcientia. 2) Probabiliſſimus moralitati multum nocet. 3) Extrinſeca actionum regula ſunt leges, quae, ſi ſufficienter intimatae fuerint, in conſcientia obligant. 4) Ut tamen actio imputari poſſit, requiritur deliberatio intellectus, et conſenſus voluntatis. 5) Officia noſtra dividunt theologi in ea, quae Deo, nobis, et proximo debemus. 6) Paſtoris animarum triplex officium eſt: docendi, ſacramenta adminiſtrandi, exemplo praelucendi. 7) In ſacramentorum admini-

administratione pars tutior est eligenda. 8) Hinc baptisati in casu necessitatis ab obstetrice sunt rebaptisandi.

§. 7.

Ex tractatu de jure et justitia.

1) Juris realis species sunt possessio, servitus, pignus, haereditas et dominium; juris personalis vero contractus aut quasi contractus, delictum aut quasi delictum. 2) Possessionis adipiscendae, et retinendae, et recuperandae diversa sunt remedia. 3) Servitus est vel personalis, vel realis; utraque variis modis constituitur. 4) Personales sunt regulariter usus fructus, usus habitatio, et operae servorum. 5) Usus fructus exspirat a) morte naturali ususfructuarii, nec transit ad haeredes; b) rei servientis totali interitu; c) consolidatione; d) lapsu temporis conventione definiti; e) conditione cessante; f) resoluto jure constituentis; g) per non usum voluntarium decem annorum inter praesentes, et viginti inter absentes.

§. 8.

Ex historia ecclesiastica.

1) Concilium Pisanum anno 1409 non videtur esse oecumenicum. 2) Basileense vero saltem usque ad sessionem 25 fuit legitimum, et oecumenicum. 3) Modus deliberandi, et suffragandi in Concilio Constantiensi, et Basiliensi per nationes frustra carpitur ab ultramontanis.

4) Purioris disciplinae corruptio falsis Isidori mercibus praecipue imputanda est. 5) Ex hoc fonte profluxit causarum majorum reservatio, 6) jurisdictio in omnes fideles, etc. 7) Et praesertim jus mittendi legatos cum jurisdictione ordinaria. 8) Pro jure mittendi legatos neque militant vicarii thessalonicenses; neque eorum jurisdictioni favet aut Concilium Tridentinum, aut Concordatum cum *Nicolao* V, aut recessus imperii noviss. §. 164 aut capitulatio Ferdinandi IV. art. XVII, aut immemorialis possessio. 9) Laudanda fortitudine collegium electorale anno 1764 Francofurti, et tres electores ecclesiastici an. 1769 Confluentiae, et 1786. quatuor germaniae metropolitae in thermis Emsanis curiae Romanae abusibus se opposuerunt.

§. 9.

Carollaria exegetica ad librum בראשית.

1) Nec narrationis argumentum, nec stilus gen. cap. I. II et III, poema admitti debere, exigunt. 2) Vox אלהים — sive *nomen* spectemus ipsum, sive *Significatum* ejus — *variis idiotismis* jam cap. I. 1 et 16 dat locum, ex quibus per sese mysterii nihil inferre licet: רוח אלהים ibidem 2. secundum literam ex ingenio linguae est *ventus vehementissimus*. 3) In ויקדש cap. II. 3 *Sabbati* jam a mundi origine, sed citra praeceptum, sacri vestigium deprehendimus. 4) Ex C. IV. 4. 7. הלוא אם תיטיב שאת validum pro libero arbitrio desumitur argumentum. 5) Ibi LXX interpretantes: ȣκ εαν ορθως προσενεγκης, ορθως δε μη διελης, ημαρτες, ησυχασον fonti hebraeo non con-

contradicunt. 6) Chronologia tam antediluviana cap. V. quam postdiluviana cap. XI. ea praestat quam textus hebraeus offert. 7) Significatio vocis שאול cap. XXXVII. 35. confirmat idem illud, quod ex aliis loquendi formulis non obscure colligitur, scilicet *credidisse patriarchas, animas hominum a morte superstites esse.* 8) Non levia sunt monumenta, quibus non pauci hodie ducuntur, ut vocem שלה vel שילה ad mentem textus graeci accipiant. -- Nec alio locum quam ad messiam tendere, indubitatum est.

D

NECE
ſignific
phraſi
aliis

UNA CU

IN ALM

WILH
Ss. T
Subreg
Un

Ornatiſſimi
tini A

D. ANSC
D. DIST

D. CRAM
D. DRIM

Auguſta

TIFFEN® Gray Scale

© The Tiffen Company, 2007

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

R G B W G K C Y M

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres Inches